





*Q. D. B. V.*

DISSE<sup>19</sup>RATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

I L E O.

*QUAM*

DEO TRIUNO PRÆSIDE

EX CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO

GRADU DOCTORIS

RITE ASSEQUENDO

IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE

*DIE 22. SEPT. MDCCCLXVIII.*

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI

S U B J I C T

JOHANNES PETRUS BEUCKÉ

H A G E N O E N S I S .

H. L. Q. C.

Argentorati, Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.

Q D A X  
IN INGENIUS MEDICO

DE

O E I L

NAU

DEO TRIUNO FREDER

EDICIONIS

CARTAS PHONETICAS MEDICO

AT

CHIROPRACTICAE

ATLAS ASSISTENDO

STATS UNIVERSITATIS

COLLEGIUM

DISCIPULORUM

DISCIPLINARUM

EXERCITIUS

EXERCITIUS

EXERCITIUS

EXERCITIUS

EXERCITIUS

EXERCITIUS

EXERCITIUS



## P R A E F A T I O.

*N*ullam fere partem totius corporis tam crebris strictris spasticis expositam esse, quam ipsum intestinorum tractum cum ventriculo, quotidiana comprobatur experientia, quia horum viscerum canalis è copiosissimis vasis & membranis valde nervosis adeo exquisitæ sensationis contextus, consensum cum plurimis corporis nostri organis habet; nihil itaque mirum videri debet, quod, si plerique homines suasi & solius appetitus ductu omnis generis cibos, potusque acidos, variis aromatibus conditos, itemque pingues, saccharatos, fermentabiles, uno eodemque prandio vel cœna, eosque præterea tempore, modo & quantitate minus conveniente, absque consilio & deliberatione quotidie assumant, tam innumera mala acerbissimis semper doloribus tormentibusque ventris stipata in hoc canali alimentoso pro diversitate partis præ cœteris affectæ excitentur; quod etiam acerbitate dolorum coatti (observante jam GALENO) violentas sibi manus injecisse legantur. Morbum loquor Iliacum, in quo murmura horrenda, inversosque in abdomen, non omnium modo ingestorum, non recrementorum, saltem flavescentium, sed &

*ipforum excrementorum horreas motus.* *Morbus* sane fre-  
*quens*, odore deterrimus, quo alius non magis abominabilis,  
*nec cui tanta impendeat malorum i<sup>m</sup>ias, ubi præter vultum*  
*austerum & squallidum, oculos tristes, convulsiones horren-*  
*das, corpus cruciatibus quoque diris ac intolerandis miserri-*  
*me incurvatum ac inquietum redditur, atque pro majoris*  
*inflammationis gradu vita ægrotantium periclitatur.* *Quod*  
*autem multi præclari Viri de motu hoc inordinato eruditas*  
*suis Publico communicaverint cogitationes, non ignoro; ni-*  
*hilo tamen minus, cum interdum variet hic affectus, quoad*  
*symptomata concomitantia, & ipsem quaedam hujusmodi*  
*præternaturalis constitutionis exempla in praxi mea chirur-*  
*gica invenerim, opera pretium esse duxi, medicam de hoc*  
*morbo instituere dissertationem, &, qui obices impedimenta-*  
*que harum viarum removeri possent, pro libertate earundem*  
*vindicanda procurandaque ex Arte Apollinari depromptis me-*  
*diis, quantum ingenii mei tenuitas permittit, ostendere co-*  
*nabor. Quodsi vero in materiae hujus enodatione tuæ L. B.*  
*expectationi non omni ex parte satisficerim, veniam dabis,*  
*cunctaque ut bonam in partem interpreteris, omni, qua decet*  
*humanitate, expeto. Faxit Divinum Numen, ut non nisi*  
*in ipsius gloriam agrorumque salutem res cedat!*





§. I.

**P**urima de nominis ratione possent afferri, nisi me magis necessaria, de amplissimo hoc argumento monenda, ad se vocarent, institutique ratio retraheret, quod non tam librum, quam brevem dissertationem scribendam esse juberet. Parum itaque sollicitus, quam recte alii nomen imposuerint, quare etiam vocis etymo non immorabor; sed ad definitionem ipsius morbi transibo, dicens: Ileus est acutissima species colicæ, ubi feces vel scybala versus intestina tenuia & ventriculum regreduntur, vomitique horrendo aliquando per os rejiciuntur. Colicæ speciem dico: quia in utroque morbo eadem symptomata, sed magis intensa reperiuntur, & etiam plures veteres Medicorum a) consentientes habemus, qui passionem hanc non aliam statuerunt, quam incrementum ac intensionem colicæ, quia in utraque motus spasticus & convulsivus adest, adeo, ut quandoque ægri desipiant, & convellantur, toto systemate nervoso in consensum tracto. Prout & observationes prostant, sæpius Authores b) ileum pro colica & colicam pro ileo habuisse.

vid. 1  
def. fal

a) ALEXAND. TRALL. ex vers. JO. QUINT. ANDERNAC. L. X. pag. 295, de Arte med. PETR. SAL. diversi. &c. de aff. partic. cap. 2.

b) in Act. Phys. med. Acad. Nat. Curios. Obs. 125. à D. D. GOHL. de passione colico-iliaca mentiente.

## §. II.

Tametsi vero magna utriusque mali sit affinitas facilis-  
que colicæ in ileum transitus , Authores tamen varias fe-  
cerunt differentias ; & quidem ratione loci , quia colica  
magis epigastricam regionem occupat c) , passio vero ilia-  
ca hypogastricam . Ratione afflictionis ; in colica enim ali-  
quando pauca remissio , in ileo vero semper dolorem ve-  
hementior dolor insequitur d) Ratione vehementiæ ; quia  
in ileo dolores longe diriores , cum singultu , virium pro-  
stratione , & sensu exagitationis & volutationis intestino-  
rum , cæteraque symptomata graviora sunt . Ratione ex-  
cernendorum ; in ileo propter summam alvi adstrictionem  
nihil exit inferius , sed in colica alvus aliquando libera.  
Maxima , quæ potest inveniri , differentia , est ea , quod  
fæces versus ventriculum reducantur , vomitioque frequens  
ac demum fæculenta adsit , quod in ulla alia colicæ specie  
non fit . Insuper etiam distingui refert , quæ pars intesti-  
norum , & quomodo ea in ileo afficiatur , quod ex situ ac  
gravitate dolorum , vomitu vario atque diversitate causa-  
rum , coniunctionumque symptomatum investigari & co-  
gnosci supponitur , vix autem propter varios gyros &  
intestinorum anfractus , mutuumque consensem hancce dis-  
tinctionem veram concludi posse existimo .

c) III. NENTER *Fund. theor. præcl. præx. spec.* Cap. VIII.d) LINDEN. *Sel. Med. Exercit.* 4ta.

## §. III.

Cruento igitur huic malo obnoxia sunt intestina tam  
tenuia , quam cralla , ut & partes vicinæ musculique ab-  
dominales e) , alias particulatim , alias universaliter ; ven-  
triculum etiam non plane immunem esse credam , quia

Confl.

continuus hicce ductus ex simili intestinorum substantia constructus simul quoque in consensum trahitur; idque ex communitate motus peristaltici, qui ex uno tractu ab ore usque ad anum intestinis tenuibus ac crassis competit. Patet enim ex sectionibus corporum hoc malo defunctorum duodenum rarissime, jejunum saepius, ileum vero frequentissime tam in parte media, quam circa finem & juxta valvulam BAUHINI affectum, crebrius quoque ipsam hanc valvulam non uno modo læsam fuisse. Observatur etiam in intestinis quoque crassis, cæco f), colo ff), rectoque g) obstructis, adstrictis, inflammatiis, ac alio quoque modo affectis causam mali inhæfisse; sequitur ergo unumquodque intestinum læsum huic malo ansam præbere posse. Quomodo autem ex obstruto vel inflammato intestino tenui possit revocari sterlus, multis alienum videatur; haud tamen denegabo in extrema ilei parte ipsas etiam reliquias ciborum, propter moram ibi nimiam restantes, stercorarium induere indolem b), & inde evomi posse. Hæcce enim valvula per spasmos vel inflammationem tam stricta potest fieri, ut fæcibus denegetur transitus.

e) COSCHWITZ *Path.* Part. II. Sect. III. Cap. I. §. 35.

f) FERNEL. *Patbol.* L. VI. Cap. IX. cæcum constrictum & perforatum.

ff) KERCKRING. *Obs. anat.* 42. colon exulceratum & compressum.

g) AUG. HUNNERWOLF in *M. C.* Dec. II. Ann. 2. obs. 93. Item in BONNET. *Sepulchr.* p. 918.

b) Ill. DE HAEN *Rat. med.* Part. II. C. 5. f. 76.

#### §. IV.

Quod attinet signa diagnostica post primum insultum apparentia, saepe contingit, in principio ad aliquot dies alvi segnitiem adesse, quam sequitur alvi obstructio pertinacissima, & ita quidem, ut subjecta, quanvis maximo

conatu fæces excludere velint, nil tamen expellant, neque alvus quibuscumque clysteribus respondeat; hanc sequitur durities & inflatio abdominis tanta, ut intestina ob materiam flatulentam ac incarceratam chordæ ad instar tensa apparent, atque ob fibras nervosas nimium extensas vel constrictas dolores vehementissimi, scindentes, punctiones, lancinantes, modo supra, modo infra umbilicum torquentes adsint; his cruciatibus tandem junguntur murmura intestinorum, cardialgia & anxietates præcordiorum summæ, cum frequenti ructuum emisione, interni ardores, motus febiles, atque phlogoses. Symptomatibus hisce incrementibus supervenit conatus vomendi, tum vomitus ipse prius alimentorum, tandem materiæ biliosæ ac chymosæ, & denique fæcum alvinarum per os rejectio, non immerito miserere mei vocanda. Observari tamen meretur hæc signa non semper in uno eodemque subiecto locum habere, sed variare potius pro diversitate causarum, ita, ut modo hæc, modo illa adsint, vel defint. Vomitum etiam non semper adesse, nisi perniciose ægrotant homines, testatur III. VAN SWIETEN in *Comment. in Aphor. Bærb.* Tom. III. P. I. fol. 165.

### §. V.

Non immerito atrocissimi hujus mali causa proxima accusari potest motus peristalticus inversus; quemadmodum enim ex physiologicis constat, intestina gaudere motu naturali & digestorio contentorum, eorumque per canalem alimentosum promotione, fæcumque exclusione, qui motus actione diaphragmatis atque muscularum abdominis, tum favente elaterio aëris & flatum in intestinis hospitantium apprime juvatur & peristalticus audit; ita quoque hicce motus in meatu hoc vel extra impedimentum quounque modo offendens, invertitur, & non fit secundum naturam

naturam versus inferiora, sed contrario potius modo versus superiora procedit, & contenta non solum è ventriculo, sed etiam, quæ longius per intestina tenuia progressa, imo ipsas quoque fæces per vomitum rejiciat, & si intendatur malum, non solum clysteres, sed & suppositoria ano intrusa, nihil obstante valvula coli, fursum rapta, & per os egesta memorantur i). Qua de re quidem dubitat Cel. Jo. BAPT. MORGAGNUS k), neque tamen id fieri omnino posse negat. Quare etiam intelligere licebit, hanc valvulam ab intestinorum fabrica constructam variis modis posse lœdi, neque ullis præ familia intestinali gaudere privilegiis. Hancce enim in dissectionibus jam vario modo lœsam invenit SPIGELIUS l), ruptam nempe, vel laxiorrem, vel muco pituitaque crassa ita oblitam fuisse, ut coeco ac colo quasi agglutinata haud quaquam posset aperiri, nec its, quæ inverso violentoque motu peristaltico fursum tendunt, remoram injicere. Nonne etiam ligamenta coli admodum debilitata, vel plane soluta valvulae hujus destructionem procreare possunt? itaque non mirum videri debet, enemata & suppositoria vomitu rejecta fuisse, & facilime hoc malum propter destruclam semel valvulam recidivum fieri posse. Quod jam annotarunt Illustres Authores, CELSUS m), FORESTUS n), SYDENHAM o) & DE HAEN p).

i) RIVER. & THONN. L. III. Obs. 8. p. 160. Item DIEMERBROECK *Anat.* L. I. C. 8. It. NIC. BINNINGER *Obs. Med.* Cent. III. Obs. 35.

k) *Advers. Anat.* Animadv. IX.

l) *Obs. de H. C. Fabric.* L. VIII. C. 9. p. 250.

m) *de Med.* L. IV. C. 13.

n) *Obs.* L. I. Obs. 20. & 21.

o) *Oper. Med.* Tom. I. C. IV.

p) *Libr. cit.*

## §. VI.

Causæ vero, quæ hanc proximam producunt, & ad quas ferio attendendum est Medico, sunt plurimæ; in eo tamen omnes convenient, quod vim & potentiam resistendi continuando motui peristaltico majorem acquirant quamvis naturalis, quæ motum illum à ventriculo ad inferiora dirigit; evenit proinde, ut motus ille ad superiora, utpote per viam magis patulam convertatur. Ad has igitur causas omnia sunt referenda, quæ vel forinsecus accidere, vel intus concipi, & intestini lædere possunt, quæque vel irritando, vel obstruendo q), inflammationes, convulsiones atque invaginationes intestinorum producunt; cujusmodi sunt humores acres, austeri, tenaces ac viscidæ, qui, vel inter fibras & membranas, vel in cavo intestinorum commorantes, illorum texturam spastodice vellificant, eorumque motum aucta contractione prorsus invertunt. Hanc autem noxam inferunt assumptorum & ingestorum variorum corruptio & inde orientes plurium generum cruditates; v. gr. carnes fumo induratæ, farinacea minus rite parata, caelesta, oleracea, fructus horæi austeri r), & quidem immaturi &c. potus calcarii, mucidi, viscosi, vina acida, præsertim lythargirio & cupro infecta, cerevisia recens, neque minus bene fermentata, aqua frigida, conglaciata in æstuante corpore ad facietatem hausta s) &c. Illatæ ventri violentiæ externæ, variæ herniarum species t), motus item corporis & animi vehementiores; uti ira, tristitia, terrores, curæ, nimium gaudium &c u). Porro omnis generis vermes y) & animalia in intestinis commorantia z), quæ importune ultro citroque proreptando rostris suis nerveas illorum membranas acutissime irritant, lancinant, rodunt, & aliquando perforant a). Abusus medicamentorum adstringentium, exsiccantium, stimulantium, emeticorum, purgantium,

drafticorum b) ac venenorum c), aliæque injuriæ extrinsecus allatæ; v. gr. acus, frustula lignorum & ossium d), vitrum grosso modo contusum &c. globuli, nummi, nuclei fructuum &c. e), qui pro forma & figura sua fibras nerveas & intestinorum membranas irritant, obstruunt, pungunt atque dilacerant. Vulnerationes porro graviores partium adjacentium tendineo nervosarum, dolores e calcu lo renum, vesicæ urinariæ vel felleæ, scirri viscerum, excrecentiæ carnosæ, imo exulceratio aut coalitio intestinorum, flatus etiam incarcerati, scybala vel fæces indu ratae, calculi intestinorum. Item excretiones sanguinis critica suppressæ f), morbi etiam externe tragœdiam suam ludentes; v. g. arthritis ejusque species, chiragra, podagra &c. scabies aliæque cutis defœdationes, atque alia exanthemata a peripheria corporis retrogressa, ulcera magna inveterata, præmature clausa & consolidata, quando nocivam suam materiam per metastasis ad interna viscera ac intestinorum membranas derivant, indeo sua ro dente fibras intestinales vellicant, stimulant, spasmos ac convulsiones gravissimas, volvulos g) vel mutuos intestinorum ingrediens proceant.

g) SYDENHAM *Obs. Med.* Cap. IV. p. 45

r) ZAC. LUSIT. *Lib. ult. prax. hist.* No. 2. *Obs. 2.* Item FERNEL. *Pathol. de morb. part.* L. VI. C. 9.

s) M. A. N. C. Dec. III. Ann. I. *Obs. 98.* p. 155.

t) FORESTUS L. XXI. *Obs. 21.* ex Omphalocele. Item GUIL. FABR. in Cent. VI. *Obs. Chir. 37.* ex Bubonocèle ileum.

u) in M. A. N. C. Dec. III. Ann. I. *Obs. 89.* Item TULPIUS *Obs. Med.* L. II. *Obs. 41.* Item DOLÆI *Oper. omn.* L. III. C. VI. §. 2.

y) HOFFM. M. R. S. Tom. III. Sect. I. Cap. 7.

z) MARC. DONATUS de *Med. hist. mir.* IV. Cap. 26. SCHENCKIUS *Obs. Med.* L. III. p. 416. STEPH. BLANC. in *Anat. pract. rat.* apud J. Manget. in *Biblioth. pract.* L. IX. p. 60.

- f*) a) Annis nunc duobus elapsis, uxor quædam rustica tristum mensium gravida, hernia incarcerated laborans, quæ hernia, nescio, qua de causa neglecta, exulcerata, & fistulosa facta, intestinumque perforatum, quia quadraginta & novem lumbrici una cum cocta oriza hordeoque mundato exiverant, aucto graviditatis tempore ob extensionem gravidam abdominis eam fistuloso suo vulnere, absque damno ulteriori ac operatione chirurgica, liberatam & demum fanissimam incedere vidi, in pago Wanzenau dicto. Item III. DE HAEN l. c. Part. 7. C. IV. plura nobis sistit.
- b) JAC. AUG. HUNNERWOLF M. C. Dec. II. Ann. 8. p. 209. a sinistr. usu pill. Francofurt. Ileum ortum declarat.
- c) III. BOSSIER DE SAUVAGE *Nos. Meth. hist.* Sartoris arsenico enectati nobis describit p. 2. 350. edit. nov.
- d) in M. A. N. C. Dec. II. Annot. VI. Obs. 44. ab osculis avium.
- e) J. FRID. KHERNIUS *Ephem.* Cent. II Obs. 154. a deglutitis 48. nummis. III VAN SWIETEN *Lib. cit.* ab osculis prunorum Ileum ortum annotat.
- f) BALLON. Conf. 63. ab hemorrhoidibus suppremissis. J. A. VAN DER LINDEN in *Sel. Med.* sub titulo select. atricippus iliacus p. 64. §. 38. a lochiis retentis ileum obseruavit. In M. A. N. C. Dec. III. Ann. I. Obs. 90. p. 143.
- g) PEYER in *Exercit. de glandula intestinorum* p. 82. triplicem intestinorum ingressum nobis sistit. In M. A. N. C. Dec. 2. Ann. 8. Obs. 18. septemplicis ingressus exemplum prostat. LAUR. HESTER in *Ephem. A. N. C. Cent. I. & II.* duplarem ingressum depictit. Item III. DE HAEN *Lib. cit.* Part. 10. Cap. 3, fol. 128. introspectionem ilei demonstrat.

## §. VII.

Phænomenis modo dictis inflammationem utplurimum conjunctam esse nemo dubitat: nulla enim inflammatio concipi potest, quin præcedat stagnatio humorum, impensis autem sanguinis rubri, arteriosi in canalibus minimis, & dein pressio & attritus sanguinis a tergo urgentis majori impetu in loca hæc a stagnante sanguine obstructa, &

congestio semper major versus illas partes contingat, quæ vasa magis magisque dilatat; unde congestionibus ipsis perseverantibus inflammationem sequi necesse est. Et etiam si sit exigui ambitus, se mox ad majus spatium extendere potest. Quod facile patet ex acuta febre continua, pulsu duro, siti ingente, urina flammœa, virium prostratione maxima, & acerbitate doloris in loco affecto hærentis &c. & quod ex cadaverum sectionibus reperti abscessus, gangræna & sphaceli satis comprobant b). Neminem enim non latet, quod partes inflammatæ tensissimæ flaccescant, & subito in gangrænam mutentur, & itaque facilime subsequens sphacelus seu ipsa necrosis intestinis inducatur. Unde nec rarum & inauditum est, crepatum intestinorum factam fuisse, siveque incarceratos flatus, lumbricos & excrements in abdominis cavum effluxisse; quæ omnia tandem miserando modo tragediæ epilogum addunt.

b) GER. BLAS. *Obſ. Med.* p. 1. FR. DE LE BOE SYLV. *prax. med.*  
L. I. C. 15. §. 17. &c.

### §. VIII.

Quid de ileo præfigire valeant Medici, facile ex antecedentibus constare arbitror; omnem enim ileum acutum & periculosum jam pronuntiavit HIPPOCRATES i), quod etiam affirmat Ill. HOFFMANN k) aliquique celebres Auctores, quia celeriter & cum vehementia historiam suam aliquando absolvit. Igitur ad gradum mali & diversitatem causarum serius respicere necesse est. Si enim ab hernia, congestis & induratis fæcibus, vel flatulenta materia spastimo constrictis intestinis intercepta, aut quacunque obstruktione vel contractione ac causis ejus generis variis ortum sit malum, non omnis spes curationis est ab-

B 3

*ffm.*  
 jicienda; quoniam multos, qui jam stercora evomuerunt,  
 sanos evasisse crebra nobis sifit experientia *1*). Si autem  
 simul conjuncta sit intestinorum inflammatio, res admix-  
 dum dubia: quare etiam pro diversa causa diversi erunt  
 malignitatis gradus constituendi; quo magis enim pun-  
 torii sunt dolores cum repetitis horroribus, eo facilius  
 inflammatio est metuenda, vitaque ægrotantium periclitata-  
 bitur; & quidem si dolor iste acutissimus in ileo sine  
 causa manifesta subito cessat, gangrænam & sphacelum in  
 intestinis jam hospitari denotat. Hoc quod factum sit ex  
 sudoribus frigidis, prostratione virium nimia, cum pulsu  
 intermittente debilissimo, animi deliquio, singultu atque  
 cadaveroso æ gri foetore cognoscitur *m*). Valet id etiam  
 de strangulatione inflammatoria in herniis cujuscunque  
 speciei, etiamsi aliquando incarcerata intestina in ileo re-  
 posita fuerint, ac vomitus, singultus aliaque symptomata  
 non cessarint, indicium erit ea a nimis compressionibus  
 inflammatione & gangræna correpta esse. Valet id etiam  
 de intro susceptione inflammata, & ideo magis, quo plu-  
 res adfunt ingressus, & quando pars intestini superior de-  
 scendit in inferiorem *n*), periculosior habetur status. Ad  
 salutem vero tendit morbus, ubi dolor non semper fixus  
 in uno eodemque loco manet, sed sedem mutat, & sym-  
 ptomata maxime urgentia cum euphoria remittunt, & ex-  
 crementorum transitus restitui & continuari potest. Nam  
 semel obortum ileum, licet salutariter solutus esse videatur,  
 mox iterum redire pluries observatum est *o*). Prognosis  
 etiam variat pro subjectorum ratione: in senibus enim  
ileum periculi pleniorum ob lymphæ defecum, acorem-  
que majorem, vireisque debiles pronuntiare licet, quam  
in junioribus vegetis, atque in optima ætate constitutis.  
 Porro huic subjectorum rectioni non multum immorar-  
 bοr, quia nimis huic malo omnis sexus est obnoxius  
 & observata docent, quæ variae ætatis, utriusque sexus

ægrotos hoc morbo laborasse & ex eo obiisse testantur p).

i) *Libr. de Aff. XXII.*

k) in *M. R. S.* Tom. IV. P. II. p. 293. dicit, quod illeus tantæ sit vehementiæ, ut intra tres quandoque dies fatis validum hominem, nisi cito succurratur ope, encare possit.

l) *FOREST. l.c.* Obs. 221. & 222. *III. DE HAEN l.c.* P. II. C. 5. p. 79.

m) *Hist. Wratisl. morb.* de 1702. pag. 167. & sq.

n) teste *DE LE BOE SYLVIO l.c.*

o) *CONRADI* in *Diff. de Paff. illiac.* Hale præfid. D. HOFFMANN habita. Item foemina triginta & aliquot annorum temperamenti cholericó melancholici, in animi commotiones valde prona, victu crudo & inordinato gaudens, in hypogastric ac inguine dextro dolores patiens atrocissimos, cum murmurantis abdominis & ventriculi inflatione maxima, anxietatibus praecordiorum summis, pulsu duro, alvi constipacione pertinacissima, ructibus frequentissimis, tandem plures quam quinquaginta varia materiei, demum vero stercoreæ aliquot vomitus duarum circiter horarum spatio propellebat; adhibitis frustra remedis tam chirurgicis quam pharmaceuticis, eam balneo emollienti infedere jussi; quo facto, ob impedimentum a nimia inflatione sanguinis circumulum menses (etiam si octiduum ante copiose fluxerint) adhucdum prorumpere inciperant, vomitusque fedari; alvusque libera copiosas reddebat sedes; plures tamen per tres menses sentiens proclivitates recidivas in hunc morbum, sanitatem jam pristinam recuperavit.

p) *III. MORGAGNI Epist. An. Med. XXXIV.* No. 35. infantem hac passione laborasse, & octava post ortum die obiisse manifestat. Eadem epistola No. 25. senem 74. annorum ileo convulsum ab mortuum sifflit.

## §. IX.

Curatio sane Medicum non solum officiosum & promptum, sed propter seriem & copiam caufarum tam diverfarum valde circumspectum requirit: varianda ergo sunt

remedia pro conditione causarum morbificantium, tam in avertendo, quam in curando hoc malo. Causa, quæcunque ea sit, quantum fieri potest, cito removeatur, aut, si hoc statim effici nequit, dolores tamen prudenter mitigentur, symptomata alia metuenda avertantur, & ægri vires conserventur; & quoniam passio hæc utplorimum a pravis humoribus & flatibus in primis viis per errorem diætæ collectis oriuntur, eo in primis allaborandum, ut alvus semper aperta servetur, non quidem purgantibus draisticis, sed blandioribus simul humectantibus & dolorem lenientibus, hisque sociatis etiam emollientibus, lubricantibus & abstergentibus usu & experientia satis comprobatis. Notari autem meretur, ut paucis haustibus reiterata sœpe vice assumentur, quia tunc facilius a ventriculo vomitidente accipiuntur, ac melius in illo & intestinis retinentur, ubi enim majore in quantitate una vice ingurgitantur ventriculum & intestina magis molestant, premunt, & novum spasmum excitant, sicque statim per vomitum rejiciuntur, & hinc optatum effectum proferre nequeunt. Eodem tempore clysmata in subsidium vocanda, quibus impuritates viscidae & tenaces in plicis & cellulis ejus harentes eo facilius abstergi & evacuari possint, eaque pro recrementationum istorum minori vel majori tenacitate, etiam efficacitora & penetrantiora Medicus præparare noverit. Interim quoque opus est, ut interdum plures injectiones eodem die, prout indicantia requirunt, repetantur, &, uti sœpe fit, si flatus, vel recrementa nimis copiosa obstant, vel etiam ob dictas causas, per quas colon nimis est extensum, continuati etiam recti intestini magna pars jam non est recta, sed pelvis lateri q) valde oppressa, enemata directionem recti versus & quidem pedentem injiciantur. Si vero talia sine effectu diutius, quam par est, retineantur, opus est simul præmittere fatus atque inlessus emollientes, nec non oleosa syphunculo injicienda; quoniam malum aliquando a nimia adstri-

adstrictione alvi dependet. Clysteres tam ex decocto quam e fumo Nicotianæ optatissimum sœpe effectum edidisse apud praticos celeberrimos legitur r). Ad prævertendam eodem tempore inflammationem venæctiones necessario plures requiruntur, inprimis si casus plethoricus urgeat. Ad scybalæ vel fæces induratas, ut etiam insolita deglutita obstruktionem excitantia conductum laxantia leniora emollientia, ut & clysteres cum oleosis relaxantibus. Si ab hernia quacunque productus fuerit ileus, intestina secundum artem in suum locum reponenda; si autem hoc fieri nequeat, operatio erit instituenda, optato tamen magis, quam sperando successu, cum raro talis suscipiatur ante inflammationem (ea vero præfente & jam progressa admodum dubia sit) & rari quoque sint, qui suscipere audeant operationem artifices cum tanto famæ periculo. Si a verminibus; mercurialia, anthelmintica laxantibus mixta in usum trahenda, adhibitis simul clysteribus jam supra adductis. Quodsi vero hæc, quæ hactenus in obstruktione vel obturatione alvi fuere commendata, minus satisfaciant, convulsiones vel introsusceptiones comite inflammatione metuere easque prope distinguere oportet. Millena dantur de intus susceptione exempla: in BONNETI *Sepulchreto* casus viginti & tres adducuntur s), varias etiam observationes nobis tradit ill. MORGAGNUS t), earumque tam funestos quam felices exitus optime depingit.

Ileus ab inflammatione eandem, ut in cæteris inflammationibus internis curam requirit, quem autem ex ejus signis, nempe febre plerumque præcedente acuta &c, cognoscere debemus; ubi vero absque febre prægressa intestinalium convulsio sævos produixerit dolores, tunc inflammatione nata febris sequitur. Plura vide in ill. VAN SWieten u) ut & ejusmodi inflammationum exitus summe existiales. Ileum convulsivum ad morbos spasmodicos pertinere, atque eodem modo tractari unicuique perspicuum erit; commendantur vulgo temperantia & leniter anodina,

C

quibus irritatio vel orgasmus sanguinis infringitur; hisce conjugenda sunt balnea, & clysmata ex emollientibus parata, quæ cum quam proxime ad partem affectam accedunt, intestinorum fibras relaxando, easdem ad ulteriore constrictiōnem ineptiores reddunt; urgente tamen necessitate venæsectiones non omittantur. Quomodo denique ileo a vulneribus *y*), ulceribus, tumoribus scirrhosis *z*), cancrosis *a*), a callofa intestinorum structura *b*), a coalitione vel alia quacunque compressione oriundo mederi debeamus, crebra celeberrimorum Practicorum experientia nos docet, ut nimis secundum scientiam & prudentiam medicam causas morbi recte colligamus, discernamus, per signa collecta dijudicemus, prompteque remedia congrua opponamus, &, tametsi curatio optato eventu non gaudeat, laudem tamen Viri periti & fidelis mereamur.

*q) III. MORGAGNI Advers. Anat. p. 240.*

*r) SYDENHAM Libr. cit. pag. 614. Adla Berol. Med. Dec. II. Vol. IV. pag. 59.*

*s) Ohlerv. 20. & 21.*

*t) Lib. III. de Causis & sedibus morb. Obs. 34.*

*u) Comment. in Aphor. §. 962. & sqq.*

*y) III. DE HAEN. l. c. Part. VII. Cap. IV.*

*z) RIOLAN. Method. Med. Sect. III. Tr. I.*

*a) FABRIC. HILDAN. Cent. I. Obs. 61.*

*b) III. DE SAUVAGE. l. c. fol. 122.*

## §. X.

Cæterum quid de remediis admodum dubiis censendum, paucis referam: ponderosa hic cautissime sunt adhibenda; globuli enim metallici pondere suo & prodeesse in casibus quibusdam, & nocere in plurimis possunt. Mercurius vivus quandoque suspectus est, ubi scilicet inflammations ac herniæ, vel gangræna & sphacelus intus suscepit intestini jam adest. Teste illustr. HOFFMANNO *c)* ponderosum ac fluxile metallum nil nisi augmenta mali ac citiorem

conf. 6

progressum ejus ad mortem efficient; unde quoque in intus susceptionibus vel volvulis cognosci poterit, an semel vel ter vel septies involutiones hæ factæ sint? an inferne vel superne ingressa sint intestina? quando enim superior pars in inferiorem descenderit, minus ponderosa quadrare existimo, quia, pondere eo ipso aucto, pars superior profundius in illam inferiorem descendere cogitur, ac maxilum in pejus ruere necesse est. Opiata modice exhibeantur, & quidem respectu tum ad morbum, tum ad ægrum habito, quia cessante opii effectu denuo novæ irritationes sese exserunt. Quid follis ad anum applicatio? cum in intestino recto plerumque tam arcta sit constrictio, ut ne fistulam quidem clysteris admittat, & per sinistrum ejus usum maximum afferetur damnum. Gastroraphia quoque in hoc morbo instituenda, ut digitis evolvantur intestina, nullam fidem, neque rationem, sed audaciam sapere, nullamque regulam constituere, quisque perspiciet. An etiam varii intestinorum ingressus exfolvi possent, si æger pedibus prehensus capite super terram pendente concusiones plurimas experiretur, nonne insultus apoplectici summopere metuendi? Aquam demum frigidam intus sumendum, vel per fomentationem exterius applicandam, si jam maxime inflammatum fuerit intestinum, neminem cum judicio tentaturum esse opinor, timenda enim ob varias causas est gangræna <sup>c)</sup>; quidquid denique in quacunque morbi hujus specie machina Præstantissimi Mediolanensium Medici WIDEMAR, ab Ill. DE HAEN iisdem Operibus suis jam citatis descripta, ad curandum ileum boni præfigii contribuat, pluribus adhucdum experimentis, ratione meliore suffultis confirmari oportet. Nam anceps potius experiri remedium, quam nullum, tam dispositioni ægrorum, quam fano Medicorum judicio relinquo.

<sup>c)</sup> in M R S T IV. P II. pag. 30.

<sup>d)</sup> Ill. DE HAEN t. c. P. IX. C. 5. §. 2.

## §. XI.

Ultimo loco Doctiorum examini benevolo quoddam sub-  
jicio instrumentum, fistulæ clysteris haud absimile, quod mo-  
do vulgari longius & quad cavitatem internam majus, ac in  
summa alvi adstrictione optimo cum successu sub trium Ce-  
leberrimorum urbis hujus Practicorum, nempe D. D. BÖHM,  
D. D KÖNIG & pie defuncti D. D. BEHR cura a me  
adhibitum fuit. " Illustris quidam Eques annorum circiter  
triginta, temperamenti sanguineo-cholerici, propter  
victum lautum & inordinatum longam alvi suppressionem  
passus, colicis cruciabatur doloribus, & quidem per  
quadratum dirissimis: quo tempore ad prævertendam inflam-  
mationem plures venæctiones, lenissima eccoprotica,  
clysteres etiam prope viginti convenientes, ut & balnea  
emollientia omni quatrihorio repetita, sed sine multo le-  
vanine tentata fuerunt; abdomine interea ab injectis tot  
clysmatibus potulentisque assumptis magis semper tenso,  
quarta vesperi die serius mecum rem perpendens, annon  
nimia alvi adstrictio (quia alvus fistulam clysteris vix ad-  
mittebat) sanationem desideratam impediret? Dictam illam  
fistulam Syringi adaptandam eodem die adhucdum perfici  
curavi; statoque clysma recipiendi tempore, eam vi  
quadam & cum dolore ægroti ano altius intrusi, per quam  
illlico fæces emollitæ & copiosa quantitate effluentes tensio-  
nem abdominalis una cum torminibus atrocissimis abstule-  
runt, & æger dulcissimo quinque horarum somno indul-  
sit, usque dum recrementa denuo ad anum collapsa nova  
tormina, sed non tam acuta excitarunt. Ex ægri petito  
fistula de novo applicata iterum ingentem fæcum alvina-  
rum copiam eduxit, unde relaxata postmodum alvi adstri-  
ctione aliisque huic scopo inservientibus remedii applica-  
tis æger ad pristinam restitutus est sanitatem,

T A N T U M!

ll-  
c

2

Straßburg, Med. Diss., 1. Ambodick-  
Beucke

X 241 8820



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

I L E O.

QUAM

DEO TRIUNO PRÆSIDE

EX CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO

GRADU DOCTORIS

RITE ASSEQUENDO

IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE

DIE 22, SEPT. MDCCCLXVIII.

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI

S U B J I C T

JOHANNES PETRUS BEUCKÉ

H A G E N O E N S I S .

H. L. Q. C.

Argentorati, Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.

